

PIÈCES JUSTIFICATIVES.

I. — PIÈCE A.

(*Anno Christi 1116. Paschalis II. Papæ. 17. Ord. Cart. 33.
Guigonis I, P. Cart. 7.*)

Tertia conditur Cartusia dicta domus Sylvæ Benedictæ in Delphinatu et archiepiscopatu Viennensi, quinque vel sex leucis ab ipsa matre Cartusia versus septentrionem: et ab urbe Metropoli Vienna septem circiter ad Orientem distans, prope pagum de Viriaco ad meridiem in loco ab hominum consortio satis remoto. A Cartusiensibus primum habitari cœpit hoc anno in lare paupere et farre modico, cùm nec tunc aliquem specialem fundatorem eos habuisse constet. In quodam manuscripto domorum Ordinis, Tornadurensis Comes unus è quatuor Baronibus Delphinatūs dicitur eam fundasse anno 1130. Sed cùm hœc sententia nullà stabiliaatur auctoritate, aut documento, eam velut dubiam non admittimus, licet nomen Saltem Beneficorum comitibus Claromontensibus ex eadem familia ortis, non denegandum putemus. Igitur à tempore primæ fundationis in magna rerum temporalium indigenitia, magnis tamen gratiæ bonis ditati, nostri in hac Sylva delituerunt usque ad annum 1167 quo Fredericus Imperator dictus Cenobardus (*sic*) novam domum ibidem construxit et dotavit sub nomine Beatæ Mariæ de Sylva Benedicta, ut eodem anno dicemus.

De primis hujus domûs Monachis nulla extat memoria præter Othgerium protopriorem, qui compositis à Guigone Cartusiæ consuetudinibus cum toto suo conventu adhærens; celebrem hanc omni cupiditati renuntiationem con-